





1750, 15
21.
6/

COMMENTATIO
AD LEGEM XIII DIG.
DE
PIGNORATITIA
ACTIONE,

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
PRO
GRADV IN VTROQVE IVRE DOCTORIS
CAPESSENDO
DEFENDET
DIEDERICVS GODOFREDVS
LAMPRECHT.

BERGEDORFFIENSIS.

DIE 24 MARTII. A. O. R. MDCCL.

G O T T I N G A E

APVD ABRAM VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.



24.

COMMENTATIO

AD FEREM XII DIG
PHILIPPO DE CASPARI
PICINORVITTA

ACTIONE

EX TITULO DE REBUS
LITIS METUENDIS
IN CASU DE REBUS

1740

GRADU IN IURIS
CANTONIS

DIEBEN
DIEBEN

DE REBUS

1740
DIEBEN



VIRO
ILLVSTRI AC CONSVLTISSIMO
PHILIPPO CASPARI
LAMPRECHT,

I. V. D.
SENATORI REIPVBLICAE
LVBECENSIS
SPECTATISSIMO,
HAEC QVALIACVNQVE
OMNI, QVA PAR EST, PIETATE
ANIMIQVE CVLTV
DEDICAT

DIEDERICVS GODOFREDVS
LAMPRECHT.



VIRI

ILLUSTRI AC CONSULESSIMO

PHILIPPO CASARI

L. AMBROSIO

L. M. D.

SENATORI REIPUBLICAE

ILLUSTRI

SPECTATISSIMO

HAEC OVALACROVE

OMNI, QUAERIT, QUAERIT

REIPUBLICAE, QUAERIT, QUAERIT

DEDICAT

REIPUBLICAE, QUAERIT, QUAERIT

DEDICAT





§. I.

Qui magnos ICtos, de quibus paucis interie- instituti ra-
ctis paragraphis, sermo nobis erit, inter- tio.
pretationi *Legis 13. D. de pignor. action.* praeclaram
operam dedisse norunt, mirabuntur fortasse, me
post tantos Viros, explicationem huius legis, quae
iure crux interpretum appellatur, in me suscepisse.
Quibus equidem facili negotio respondere potero.
Cum enim difficile haud sit, inventis addere, ne-
moque, cui solidior Romani iuris scientia curae cor-
dique est, sibi pervadeat, *legem 13. D. de pignor. action.*
ita iam esse dilucidatam, ut non ridendus, sed explo-
dendus sit, qui flores nonnullos ad lucubrationes
aliorum spargit: acqui rerum iudices, hunc conatum,

A alie

alienis de meo addendi, vitio mihi non vertent, praefertim, si forsitan animadverterint, ea, in quibus ab aliorum sententia discedo, non esse plane spernenda. Quodsi vero pateat, me nondum dicta quidem dixisse, erronea vero ac nulla prorsus approbatione digna, quam lubentissime meum agnoscam errorem; nunquam enim me pudet, me hominem confiteri.

§. II.

Inscriptio legis 13. e-mendatur.

Inscriptio legis nostrae est: *VLPIANVS Lib. 38. ad Edictum.* Constat nempe, *IULIVM PAVLVM LXXX & DOMITIVM VLPIANVM a) LXXXIII.* libris ad Edictum commentatos esse, quorum fragmentum adeoque (purum, an interpolatum? fidei *TRIBONIANI* relinquo) lex ipsa est. Inscriptionem hanc mendo, fortasse librariorum ex incuria, laborare, mihi quidem videtur verisimillimum, dum verba huius legis ex libro *VLPIANI* ad Edictum trigesimo octavo deprompta esse, perhibetur; cum potius *VLPIANVS* de *Actio- ne pignoratitia* in Libro ad Edictum *vigesimo octavo* com-

a) Vitas horum *Duumvi-*rorum dedit nobis praeter *GVIL. GROTIVM* de *Vitis ICtorum* Lib. II. Cap. X. inulta cura collectas *IOHANNES BERTRANDVS* *βίαις νομικῶν* sive de Iuris-

peritis, Lib. I. a *SCHVLTINGIO PAVLI* sententiis receptis & Titulis ex Corpore *VLPIANI* praemissas, *Iurisprudentiaeque Ante-Iustinianae* pag. 198. ad 206. & 543. ad 553. insertas.



commentatus sit. Namque ex Ordine Pandectarum, quae ad ordinem Edicti perpetui maximam partem *) sunt digestae, atque ex PAVLI sententiis receptis, in quibus itidem Ordo Edicti perpetui est servatus, b) patet, in Edicto statim post *Commodatum* de *pignore* fuisse edictum: in PAVLI *Sententiis* enim Lib. II. Titulum IV., qui est de *Commodato*, excipit titulus V. de pignoribus & in Pandectis in Libro XIII. titulus VI. *Commodati vel contra* & titulus VII. *de pignoratiua actione vel contra* sonant. Iam vero, si lubet inspicere inscriptiones fragmentorum VLPiani ad Edictum in his duobus titulis Digestorum occurrentium, deprehendes, ea fere omnia ex VLPiani libro ad Edictum 28 esse desumpta. Credibile igitur haud est, VLPIANVM, qui Libro 28. ad Edictum de commodato & pignore ex instituto egit, post libros novem alios interiectos, rursus materiam de pignoratiua actione tractasse. Firmant haut parum nostram sententiam fragmenta PAVLI sub titulis Digestorum, *Commodati* & de

*) In Pandectis enim componendis non semper & ubique servatum fuisse ordinem Edicti perpetui, demonstravit B. BYNCKERSHOECK in *Observationibus Iur. Rom.* Lib. 2. Cap. 25.

b) uti ex Ordine Edicti perpetui, a IAC. GOTHOFREDO concinnato, fuisse demonstravit SCHULTINGIVS *Iurisprud. Anteiustin.* p. 211. seqv.

& de *Pignoratitia actione* occurrentia, quae omnia inscriptionem: *PAVLVS Lib. 29. ad Edictum* prae se ferunt. Restituamus itaque inscriptionem Legis 13, de *Pignor. actione* hoc modo: *VLPIANVS Lib. 28. ad Edictum.*

§. III.

Si cum venderet creditor pignus.

Iam inoffenso pede ad enucleationem ipsorum *VLPIANI* verborum progredimur. Verba initii sunt: *Si cum venderet creditor pignus*, quae a me sine meditatione relinqui non debent. Vendidit in hac lege Creditor pignus, rem alienam, quod mirum videri nemini potest, qui mediocri saltem iuris Romani cognitione tinctus est: Venditio enim rei alienae iuri neutiquam refragatur, c) quia talis venditio domino praedudicium affert nullum, & venditor rem emtoris praecise non tenetur facere d); at emtor tamen, re sibi evicta, cum venditore ex emto agere potest ad praestandam evictionem e). Ergo venditio rei alienae hic nobis offendiculo esse nequit. Potius hoc quaeritur, utrum creditor pignus distraxerit sciente debitore, an ignorante eodem, utrum in mora constituto, an non constituto? Et sane verior

c) L. 28. D. de Contrah. Emt.

e) L. 30. D. de evict.

d) L. 30. §. I. Dig. de Action. emt.

rior mihi videtur opinio: creditorem rem pignori datam, debitore iusto tempore non solvente, atque distractionem haut ignorante, sed volente vendidisse. Quod si enim ignorasset debitor, neque fuisset versatus in mora solvendi debitum, quid quaeso, opus fuisset pacto venditioni adiecto, *ut liceat debitori rem suam recipere*, quam etiam sine hoc pacto vindicare poterat? aut cur in eum casum pactum conceptum: ut si debitor *pecuniam pretii solverit emtori*? Namque si contra ius distraxisset hoc sub pacto creditor pignus, verba concipienda fuissent, *ut, si debitor solverit creditori debitam pecuniam*, recedere liceret ab emtione. Neque etiam potuisset debitor agere adversus creditorem, ut sibi mandet actionem venditi adversus emtorem; sed debuisset convenire simplici pignoratitia actione creditorem soluto debito, ut rem pignoratam in specie reddat. Confirmat meam sententiam ipse IULIANVS in hac lege 13. ab VLPIANO allegatus, modo eius mens integritati suae, quantum fieri potest, restituatur. Recurrendum nempe est ad *Legem 7. ff. de Distract. Pignor*: ubi MARCIANVS in Lib. sing. ad formulam hypothecariam ex eodem IULIANO, & quidem eius Lib. II. Digestorum tanquam ex eodem fonte eandem rem, sed clarius proponit hunc in modum: *Si cre-*

ditor pignus vel HYPOTHECAM vendiderit hoc pacto, ut liceat sibi reddere pecuniam, & pignus recipere: an si paratus sit debitor reddere pecuniam, consequi id possit? & IULIANVS Lib. II. Digestorum scribit, recte quidem distractum esse pignus; Caeterum agi posse cum creditore, ut si quas actiones habeat, eas cedat debitori; sed quod scribit IULIANVS (pergit ipse nunc MARCIANVS) in pignore, idem & circa HYPOTHECAM est. Illud inspiciendum est, an liceat debitori, si hypotheca venierit, pecunia soluta, eam recipere? Et si quidem ita venierit, ut si intra certum tempus a debitore pecunia soluta fuerit, emptio rescindatur; intra illud tempus, pecunia soluta, recipit hypothecam; si vero tempus praeteriit, aut si non eo pacto res venierit, non potest rescindi venditio, nisi minor sit annis viginti quinque debitor, aut pupillus, aut reipublicae causa absens vel in aliqua earum causarum, ex quibus edicto succurritur. Quibus MARCIANI cum ULPIANI verbis comparatis, constat, in specie ab utroque Icto proposita, poni debitorem, qui pacto contractui pignoratitio adiecto a creditore sibi promitti curaverit, ut debito iusto tempore non soluto, non liceat distrahere pignus nisi hac lege, ut si solverit deinde emptori debitor pretium pro pignore solutum, liceat sibi rem recipere.

§. IV.

§. IV.

Sequamur porro **ULPIANVM**: *Si convenerit inter ipsum (nempe creditorem) & emtorem, ut, si solverit debitor pecuniam pretii emtori, liceret ei recipere rem suam.* Convenerit inter ipsum & emtorem, ut si solverit debitor pecuniam pretii emtori, liceret ei recipere rem suam.

*Emtioni pignoris a creditore vendente pactum hoc in continenti, ut loqui amant Prudentes nostri, adiectum fuisse, verba: Si cum venderet creditor, (hoc est, eo ipso tempore, quo vendebat, vel clarius, in ipsa venditione,) dubitare vetant. Sed quale pactum adiectum hic est? Sine dubio pactum de retrovendendo. Licet enim quispiam de veritate huius rei dubitaverit, cum pactum de retrovendendo sit, quando inter emtorem & venditorem convenit, ut venditori pretium restituenti, rem venditam redimere liceat; hic vero verba pacti non ad venditorem, sed debitorem pretii pecuniam restituentem directa sint, hac tamen dubitatione nihil efficitur. Expediti enim iuris est, dirigi posse pactum de retrovendendo non modo ad venditorem, sed & alium quemvis pretium restituentem. Ipse Imperator **ALEXANDER f)** **A CHARISIO** rescripsit; *Si fundum parentes tui ea lege vendiderunt, ut, sive ipsi, sive heredes eorum emtori pretium quandocunque vel intra tem-**

f) L. 2. C. de Pact. inter Emt. & Vend.

tempora obtulissent, restitueretur &c. Accedit & hoc, quod Creditor pignus non suo nomine, sed tanquam debitoris procurator a legibus constitutus vendat; adeoque iure pactum in proposita specie de retrovendendo pignore in gratiam domini, nempe debitoris, adiectum sit.

§. V.

Rescripsit Iulianus & est rescriptum. Pergit noster ULPIANUS: *scripsit IULIANVS & est rescriptum.* Ubi scripsit IULIANVS? in libro undecimo suorum Digestorum, uti a MARCIANO in *Lege 7. ff. de Distract. pignor.* discimus. In aliis editionibus pro: *scripsit*, legitur: *rescripsit*. Et ne sic quidem male. Qui enim veterum prudentum linguam norunt, ipsos ICTOS, qui se consulentibus de iure responderunt, *rescribere* dici, ignorare non possunt. Sic idem IULIANVS etiam *rescripsit*, suspectum tutorem esse etiam *illum*, qui non ex fide tutelam gerit, licet solvendo sit; nec non, posse tutorem, ante tutelam, quam gerere incipiat, quasi suspectum removeri g). Eodem modo LABEO *rescripsit* h), hereditatis bonorumve possessionem non uti rerum possessionem accipiendam esse, quod sit iuris magis quam corporis

g) §. 5. Inst. de suspect. Tut. h) L. 3. Dig. de Bonor. Possess.

is possessio. ARISTO etiam Neratio Appiano i)
 hinc in modum *rescripti*: testamento liber esse ius-
 sus, cum annorum triginta esset, antequam ad eam
 aetatem perveniret, si in metallum damnatus sit, ac
 postea revocetur; sine dubitatione cum libertate
 legatum ad eum pertinere. Simili ratione SCAEVOLA
 k) interrogatus: cum ex contractu paterno actum
 sit cum pupilla, tutore auctore & condemnata sit;
 postea tutores abstinuerint eam bonis paternis, &
 ita bona defuncti ad substitutum, vel ad coheredes
 pervenerint; utrum hi ex causa iudicati teneantur?
rescripti: dandam in eos actionem, nisi culpa tuto-
 rum pupilla condemnata sit. *Scripti* ergo IULIANVS
 in Lib. II. Digestorum suorum, & quidem illud, quod
rescribendo ad casum a consulentibus propositum re-
 sponderat. Pergit ULPIANVS: & est *rescriptum*. Hoc
 est, id, quod *rescripti* IULIANVS, *rescripto Imperatoris*
 approbatum est. Neque hoc infrequens in iure no-
 stro est, neque desunt loca quamplurima, quibus
 hic loquendi modus illustratur. Produxisse hic IVSTI-
 NIANVM solum sufficiat, qui ait l): *idem IULIANVS*
rescripti & secundum eum constitutum est.

§. VI.

i) l. 46. Dig. de Manum.
 Test.

l) §. 5. Instit. de suspect.
 Tut.

k) L. 44. Dig. de Re Iudicata.

B

§. VI.

Ob hanc **EX IULIANI** sententia igitur, *ob hanc conventionem* conventio- *pignoratitiis actionibus tenetur creditor, ut debitori mandet* nem, pigne- *ex vendito actionem adversus emtorem.* IULIANVS satis ratitiis a- *notanter ait: ob hanc conventionem, ita enim legenda* ctionibus *sunt haec verba, ut in voce hanc pronuntiatio em-* teneri credi- *phatica ponatur. Nempe ob talem venditionem* torem, ut *pignoris, in qua versatur pactum de retrovenden-* debitori *do pignore, potest debitor experiri adversus credi-* mandat ex *ditorem, & quidem actione pignoratitia, non simplici* vendito a- *ad restituendum pignus, nam creditor illud iure* ctionem ad- *distraxit; sed ut sibi cedat actionem venditi, quam* versus em- *ipse creditor ex pacto emtioni adiecto habet adversus* torem, *emtorem, ad rem venditam ob pretium a debitore* *oblatum restituendam. Directam enim venditi actio-* *nem debitor adversus emtorem non habet, obstat* *quippe illi exceptio: tecum non contraxi.*

§. VII.

Sed & ipse **Possit** cuidam decisio haec IULIANI superflua vi- debitor aut **deri**, cum ipse Ictus moneat: *Sed & ipse debitor aut vindicare rem poterit, vindicare rem poterit, aut in factum actione adversus emtorem agere.* Quid itaque opus est cessione actionis, ubi mihi rei vindicatio, & actio in factum in prom- tu

tu sunt? Sed salva res est. Primo namque monendum, dari actori interdum plures actiones posse quarum altera pinguior altera, ex quibus adeoque eam eligere possit, quae sibi maxime proficua fuerit visa; quis ergo dubitaverit facile, actionem debitori a creditore contra eum cessam vel hanc ob causam esse meliorem posse rei vindicationem, quia in hac venit onus probandi dominium, quod grave satis est. Nec obiici potest, Publiciana in rem actione hoc removeri onus. Ut enim taceam, & in hac actione interdum probationem esse difficilem; quis, quaeso, nescit, rei vindicationem citius expirare, quam actionem venditi; si enim ponas, rem mobilem a me oppignoratam, a creditore alienatam esse, rei vindicatio ultra triennium non durabit, ratione rei immobilis vero lapsis decem vel viginti annis morietur *m*). Secundo loco probe tenendum hic est, verba haec, quae decisioni IULIANI addita sunt, non esse IULIANI, sed VLPIANI. Nempe VLPIANVS supplet IULIANI sententiam eo progressus, ut statuatur, praeter actionem venditi cessam, debitori aut rei vindicationem, aut actionem in factum dari. Non semper, sed interdum. Quid enim si res aliena oppignorata tibi a me sit, & Tu illam vendideris ea lege, ut

B 2

mihi,

m) pr. Inst. de usur. l. ult. C. de Praetor. long. Temp.

mihī, soluto pretio, restituatur; quis, quaeso, mihi competere vindicationem rei asserere conabitur? Imo ne tunc quidem semper vindicare rem poterō, si dominus ego rem pignori dederim, quam tamen deinde sub pacto, quod in nostra lege supponitur, vendidisti: Inspicienda igitur sunt verba, quibus usi sunt venditor pignoris & emtor, num scilicet reservationem dominii mei innuant, an non; si prius, rei vindicatio obtinebit, sin posterus, debitor ab emtore pignus vindicare non poterit, sed ei sola actio venditi cessā, vel actio in factum relicta erit. Hinc si pactum venditioni adiectum sit verbis: *ut res sit inempta, contractus sit nullus, domino liceat vindicare*, vel, uti in nostra lege dicitur: *ut liceret debitori REM SVAM recipere* ⁿ⁾ debitor ex sententia VLPIANI rem suam vindicat. Verba, contra, pacti adiecti cum essent obliqua, velut, *ut res debitori reddatur, restituatur*, cessā a creditore debitori actione ex mente IULIANI in personam agendum erit.

§. VIII.

Aut in factum actione adversus emtorem agere.

Quid in lege per *actionem in factum* intelligi debeat, nondum satis, opinor, constat. Contendit qui-

ⁿ⁾ conf. L. 41. ff. de Rei vindicat.

quidem ABRAHAMVS WIELING *o*) eam nullam esse aliam actionem, quam *utilem venditi*; verum enim vero, cum ratio deficiat, directam venditi actionem, in specie ab VLPIANO proposita, debitori cuius res oppignorata a creditore vendita est, utiliter adplicandi; Verisimilius mihi videtur, *actionem* hic *in factum* denotare eam, quam MERILLIVS, HEINECCIUS, BOEHMERVS *p*) aliique Icti omnium actionum subsidiariam appellare solent, quando & ipsa actio de dolo non competit. Docent enim veteres prudentes in libris suis tantum non omnibus, quibus iuris Romani Systema illustrarunt, omnes actiones, quae cessantibus actionibus ex quasi contractu & de dolo propter factum sive honestum sive inhonestum ob solam aequitatem, quae est fundamentum actionum ex quasi contractibus iure proditis, dantur, & quae rem gestam complectuntur, esse actiones *in factum q*). Quis autem, quaeso, est, qui non statim videat, hanc, de qua loquitur VLPIANVS, in factum actionem, ad harum subsidiariorum classem referendam esse?

§. IX.

o) in Lectionibus Iuris Civilis Lib. I. Cap. VII. p. 29.

p) de Action. Sect. II. Cap. 5. §. II. p. 403.

q) uti monstravit amplissimus MFISTERVS in diss. de actionibus in factum. Cap. III. §. 46.

Vox *venire*
in actioni-
bus, quid
sit?

Restat illa Legis nostrae pars, quae ICTOS nostri aevi Celeberrimos maxime turbavit: *venit autem in hac actione & dolus & culpa, ut in commodato venit & custodia, vis maior non venit.* Nos primo de verborum significatione dicemus, quo facto eo feliciores ad ipsam VLPiani mentem eruendam transgredi poterimus. Vox: *venit*, linguam ICTorum, & terminum artis sapit. ICTi enim Romani quid in quavis actione praestandum ab actore peti possit vel non possit, vel cuius rei ratio in actionibus haberi debeat, indicaturi, voce: *venire* expresserunt, qui terminus ita fixus atque in actionibus proprius fuit, ut probatu foret facillimum, omnes veteres ICTOS, in actionum materia, eum in ore & scriptis habuisse semper, si ratio instituti nostri hanc digressionem flagitaret, aut, si, qui linguam veterum prudentum familiarem sibi reddidit, de veritate huius rei dubitare posset. Illustrabimus tamen hanc sententiam paucissimis, ut & in hac re officio nostro defuisse, ne videamur. Cum quaeretur, utrum dolus ab heredis servo admissus, a domino, in iudicio familiae heriscundae praestari debeat? POMPONIVS *Lib. XIII. ad Sabinum r)* respondit: *dolus, quem servus heredis admisit,*
in

r) in L. 45. Digest. Famil. herisc.

in iudicium familiae herciscundae non VENIT: nisi si domini culpa in hoc erat, quod non idoneum servum rei communi s) adplicuerit. Eodem igitur modo, fructus etiam in actione restituendi, VENIRE a PAVLO Lib. 23. ad Edictum t) dici poterant, imo ex dialectica Ictorum, debebant: non solum in finium regundorum, sed & familiae herciscundae, iudicio, praeteriti quoque temporis fructus veniunt? Ipse noster VLPPIANVS in Libro 35. ad Edictum u) de tutore ait: si quid plane gessit post editum partum, de eo quoque quod ante gessit tutelae iudicio tenetur: & omnis administratio in hac actione VENIET. Qui VLPPIANVS EX VLPPIANO ipso egregie illustratur, dum in Lib. 71. ad Edictum x) de interdicto: Quod vi aut clam, scribit: culpam quoque in hoc interdicto VENIRE, erit probandum: quae tamen arbitrio iudicis aestimanda erit.

§. X.

s) Servi enim Romani varia praestabant ministeria, quorum intuitu alii erant atrientes, alii dispensatores, alii medici, topiarii, pistores etc: Confr. LAUR. PIGNORIVS in Libro de servis eorumque apud veteres ministeris, iuncto Titi Pompaee Tractatu de operis servorum

Amst. 1672. edito. Vide quoque HEINECII Antiqu. Rom. Lib. I. Tit. III. §. VIII.

t) L. 56. Dig. Famil. hercisc.

u) L. 19. §. 2. Dig. de Test. Tut.

x) L. 15. §. II. Dig. Quod vi aut clam.

§. X.

Venit au- *Venit autem in HAC ACTIONE.* Quenam VLPIANO
 tem in hac *est haec actio?* Putat ante laudatus a me WIELINGIVS y),
 actione, id *ICTVM* hic in mente habuisse, non rei vindicatio-
 est, pigno- *nem*, non actionem pignoratitiam, sed *solam in fa-*
 ratitia dolus *ctum actionem.* Non caret sane haec opinio veritatis
 & culpa ut *Non caret sane haec opinio veritatis*
 in commo- *magna specie, cum vox: in hac actione ad pignoratitias a-*
 dato venit *ctiones*, utpote numerum pluralem, minime quadret,
 & custodia *& VLPIANVS, si intellexisset pignoratitiam actionem,*
 vis maior *dicere debuisset: venit autem in his actionibus.* Vo-
 non venit. *cem ergo: actiones* de proxime antecedente, quae
 est *est actio in factum*, capiendam esse, WIELINGIO vide-
 tur. Mihi vero non ita: VLPIANVM enim de pigno-
 ratitia loqui actione manifestum est. Compilatores
 sane Pandectarum fuissent homines talpa magis coeci,
 si videntes, VLPIANVM hic agere de *actione in factum* &
 non de actione *pignoratitia*, subiunxissent VLPIANI ver-
 bis statim tanquam conclusionem z) PAVLI verba:
ea igitur, quae diligens paterfamilias in suis rebus prae-
stare solet, a CREDITORE exiguntur. Neque etiam pu-
 tarim, fore aliquem, qui sibi persuadeat, etiam PAV-
 LVM hic de actione in factum verba fecisse, cum haec
 detur debitori adversus emtorem pignoris, PAVLVS
 autem

y) l. c. p. 29.

z) L. 14. Dig. de Pignor. act.

autem diferte de debitoris aëione adverfus credito-
rem loquatur. Qui etiam novit VLPiani rationem
de aëionibus cogitandi fcribendique, certe falva
veritate WIELINGIO haut adftipulabitur. Difcimus
VLPiani feriem & modum cogitandi in aëionum ma-
teria praecipue ex *Lege 5 Dig. Commodati* aliisque eius
fragmentis in utroque Titulo, *Commodati* nempe
& de pignoratitia aëione. Ex his namque iunãtim
fpectatis liquet, VLPIANVM, propter contractuum pi-
gnoris & commodati, in Edicto vicinitatem, aëio-
nes utriusque contractus inter fe comparare, inque
earum convenientiam & discrepantiam diligenter in-
quirere. De unaquaque aëione vero aëiturus VLPIA-
NVS primum tractat, cui detur aëio, & adverfus
quem: quibus praemiffis tandem id, quod praeftan-
dum in aëione venit. Sic in commodati aëione mon-
ftranda verfat, uti docet fragmentum *a)* ex *Libro*
28. ad Edictum, ubi, poftquam egit de aëiore & reo
in commodati aëione *b)* fic pergit: *Nunc videndum*
eft, quid veniat, (i. e. ad quid detur) in commoda-
ti aëione: Utrum dolus, an & culpa? an vero & o-
mne periculum? Eundem modum, quo in aëionem
Com-

a) in L. 5. Dig. Commodati.

b) iunge Legem 3. & Legem 5. pr. §. 1. Dig. eod.

Commodati commentatus paulo ante erat, servavit quoque in explicatione actionis pignoratitiae VLPIANVS. Inspicias modo fragmenta eius in Legibus 1. 4. 9. & 11. Digestis de Pignorat. action. superstitia, &, aut egregie fallor, aut deprehendes, in his VLPIANVM investigasse, cui & contra quem actione pignoratitia agatur: videbis quoque principium legis nostrae 13. nihil esse aliud, quam continuationem proxime antecedentium fragmentorum, in eoque primam commentationis partem finiri, & ubi paragra- phus legis primus extat, fieri transitum ad secundam commentationis partem, nempe: ubi quaeritur, quid veniat in actione pignoratitia. Non quidem VLPIANVS, ut in actione commodati connectit: *Nunc videndum, est quid veniat &c.* Sed alia connectendi, & ad alia transgrediendi formula in Latio usitatissima. *Venit autem in hac actione subintellige: pignora- titia, de qua haecenus disserui.*

§. XI.

Haec verba
Ictos mise-
re torquent
fed sine ra-
tione.

Liceat mihi VLPIANVM, ut in rebus, ita & in ver- bis sequi. Igitur videndum nunc est, quid veniat in hac actione pignoratitia, utrum dolus, an & culpa? an vero & omne periculum? *Venit autem (re- spondit noster VLPIANVS) in hac actione & dolus & culpa*
ut

ut in commodato venit & custodia vis maior non venit.
 Haec sunt ista verba, quae maximi nominis Ictis
 crucem fixerunt; qui, cum tirones norint, in com-
 modato a commodatario *culpam* praestari *omnem*, in
 pignore, a creditore *levem*; ne coniciendo quidem
 assequi poterant, quo infelici numine afflatus VL-
 PIANVS dixerit, in pignoratitia actione *culpam venire*
ut in commodato. Quae res fecit, ut emendationibus
 & coniecturis invita Minerva, VLPPIANVM ab ignoran-
 tia non solum primorum iuris principiorum, sed
 etiam eorum, quae paulo ante sub titulo Commo-
 dati c) ipse dixerat, liberare quidam studuerint.
 Verum est, fateor, si capiatur VLPPIANVS ita, ut, in
 commodati & pignoratitia actione eandem culpam
 venire, statuerit; VLPPIANVM, eo, quo haec scripsit,
 mentis aut fuisse non compotem, aut plane ex nu-
 mero Ictorum eiiciendum, ac ne dupondiis ad-
 censendum esse. Nam fluunt hac ratione duo absur-
 da. Venire enim sic debet in pignoratitia actione
 omnis culpa, in commodato autem tantum culpa
 levis; velut, *venit autem in hac pignoratitia actione &*
dolus & culpa (i. e. levis) *ut in commodato, venit etiam*
 (praeter culpam levem, quae tantum in commoda-
 to praestatur) *custodia.* Facile perspicias, Lector bene-

C 2

vole,

c) L. 5. §. 2. Dig. Commod.

vole, hunc verborum sensum esse non posse. Quid igitur est, inquires, quo *VLPIANI* existimatio salvari possit? Dic potius (nisi *VLPIANVS* ut Deus Horatii rideat, si mortales ultra fas trepidant) quo pacto manes *VLPIANI* ab ipsis defensoribus eius, violati placari queant? Si enim unquam, certe in hac lege locutus clare est *VLPIANVS*; & tamen ab interpretibus intelligi non potuit. Haec omnia ut eo magis patefiant, primo dabo explicationem verborum *VLPIANI* naturalem, simplicem, nullis emendationibus innixam, non tortam, sed planam, iurique Romano, & menti *VLPIANI* conformem, postea *NOODTI* aliorumque magni nominis *ICTorum* interpretationes producam, Lectorique veritatis studio optionem optimae relinquam.

§. XII.

Siquificatio
verborum
in hac lege:
*dolus, culpa,
custodia.*

A verborum igitur significationibus ordiendum est. *Dolus* denotat in iure Romano, generatim positus, praeter *propositum alteri nocendi* etiam culpam, quae *lata* dicitur; imo fines inter *latam culpam* seu *supinam negligentiam* & *dolum* ita sunt angusti, arcti, ut animadverti & regi fere nequeant. Hinc *ICTi* a puncto mathematico in moralibus abhorrentes, culpam latam esse & ipsam, *dolum*, statuerunt, hinc doli

doli vox continet semper culpam latam, nisi expresse ab ea separetur. Capis nunc PAULVM *Lib. 1. Manualium d)* dicentem: *Magna negligentia culpa est, magna culpa dolus est.* Capis quoque, quare VLPPIANVS noster ipse *Lib. 41. ad Sabinum e)* scribere potuit: *sic tamen si sine DOLO OMNI reddat, hoc est, ut nec culpa quidem suspicio sit.* Culpa cum opponitur dolo, notat culpam levem, ut ab ipso VLPPIANO *f)* discimus. Custodia seu diligentia vero, quando dolo & culpa, & periculo, seu vi maiori contradistinguitur, significat diligentiam maximam *g)* eaque neglecta culpa levissima oritur. Haec verborum significationes sunt fixae & perpetuae, quotiescunque eorum mentio fit in negotiis, quibus adplicari possunt *h)*.

§. XIII.

Ad eruendam VLPPIANI mentem necesse est, ut *Explicatio primo oculis subiiciantur sine omni interpunctione, quae mentis eorum.* etiam codices veteres carent; *secundo*, ut in memoriam hic revocetur, quod supra monui & probavi,

VLPPIA-

- d)* L. 226. Dig. de verb. signif. *g)* Vide L. 5. cit. §. 2 & 3.
e) L. 11. Dig. Depof. *h)* Vid. NOODT. in Probab.
f) L. 5. §. 2. Digest. Com- Iur. Civ. Lib. I. Cap. IV. &
mod. WIELING. l. c. p. 25.

Ulpianum in utroque titulo, *Commodati* nempe, & de *pignoratitia actione*, continuam inter actionem *Commodati*, & *pignoratitiae* comparationem instituire, eumque morem etiam in doctrina de *culparum praestatione* in utraque actione observare. Denudentur igitur verba legis, suis interpunctionibus haecenus receptis, iisque perperam collocatis

Venit autem in hac actione & dolus & culpa ut in commodato venit & custodia vis maior non venit.

& denuo inferantur, sed quaelibet suo loco, hunc in modum:

Venit autem in hac actione & dolus & culpa; ut in commodato venit & custodia, vis maior non venit.

Ita paraphrasis facillima & dispositioni verborum maxime consentanea haec erit:

Venit autem in pignoratitia actione praeter dolum etiam culpa levis, sicuti in commodato, praeter dolum & culpam levem, etiam levissima, non vero casus fortuitus praestatur.

Vel brevius:

Venit autem in hac actione (pignoratitia) & dolus (sub quo continetur culpa lata) & culpa (levis;) ut (sicuti) in Commodato venit & (etiam) custodia, vis maior (nempe in commodato) non venit.

Idem

Idem itaque est, ac si dixisset ita VLPIANVS: in omni actione debet praestari dolus & lata culpa, sed in quibusdam quid amplius, nam in pignoratitia actione ad culpam latam etiam accedit culpa levis, in commodati actione, ad culpam levem etiam levissima accedit. Quia vero in nulla actione casus fortuitus praestatur, quippe quem dominus sentit, in Commodato quoque vis maior non venit, licet commodatarius omnem diligentiam observare teneatur.

§. XIV.

Munirem hanc *legis 13. Dig. de pign. act.* adversus impugnationes, rationibusque firmarem, nisi esset tam plana, nullisque difficultatibus involuta, ut nuda eius narratio iam sit ipsa probatio, dubiorumque refutatio. Absint itaque ab hac lege *Sectiones, transpositiones, verbo, manus criticorum*, absint quoque *singulares casus*, qui *supponant aut commodatum, in quo versatur par utriusque utilitas, vel pignoratitium contractum, in quo omnis utilitas penes creditorem est*, qui VLPIANO in mentem nunquam venerunt.

Ulteriori
probatione
non egens.

§. XV.

Ne autem obtrudere velle Lectori meam sententiam videar, omissis ACCVRSH, CONTII, FRANZKII, HVBERTI aliorumque conciliationibus partim a Magni Icti in interpretando Vlpiano non GERARDO NOODTIO conveniunt.

NOODTIO *i*) & WIELINGIO *k*), partim quoque ab *Amplissimo* HANNESENIO *l*) explosis, recentiorum quorundam de mente VLPANI opiniones recensere subindeque meas qualescunque observationes immiscebo.

§. XVI.

Niellie- Primus, qui secuit legem inque locum exfectae
mendatio & literae aliam substituit literam, fuit IOHANNES NIELLI-
coniectu- vs. Eruditissimus hic iuvenis *m*) Vefalia oriundus,
rae. exeunte saeculo XVI. Marpurgi operam iuris navans,
post instituta inter commilitones privatarum dis-
putationum exercitia, neutiquam spernenda, iuris
tum civilis, tum feudalis illustrandi causa, repenti-
na morte, annos vix quinque & viginti natus, Caf-
fellis oppressus, maxima orbis eruditi spes destituit
Anno MDLXXXVII. V. Id. Ian. Postumorum eius
operum duobus Tomis in 4. tres in Germania exie-
runt, Marpurgi & Francofurti. Hic NIELLIVS de lege
13.

i) in Probab. Iur. civ. Lib. I.
Cap. IV. & Lib. IV. c. 3.

k) in Lect. Iur. Civ. Lib. I.
cap. VII.

l) in der rechtlichen Anmer-
kung von des Herrn Noodts
Ausbefferung des Legis 13. §. 1.

Dig. de pignoratitia Actione,
quae observatio in eius vers
chiedenen kleinen Teutschen
Schriften primum occupat lo-
cum.

m) narrante WIELINGIO l. c.
pag. 24 sq. in nota (*)

13. nostra, coniecturas proposuit *n*) tres, his verbis: *o*) constat in commodato venire ex contractus natura culpam levissimam: in pignore levem tantum d. §. 2. (L. 5. Commod.) & d. §. 5. (L. 9. de Reb. auct. iud.) ratio expressa d. §. 2. quod pignus utriusque gratia contrahatur, commodatum plerumque accipientis tantum. Quid igitur magis rationi & textibus iuris contrarium dici potuisset, quam quod dicitur in d. §. 1., venire in actione pignoratitia & custodiam, id est, culpam levissimam, non tantum dolum & culpam (levem), ut in Commodato: quasi in hoc contractu (secus ac in pignore) ea tantum culpa praestanda sit. Non dubito incuria librarii pro ATrepositum VT (facilis fuit lapsus ob harum literarum similitudinem) vel VT a non intelligente comparationis rationem adiectam: vel denique transpositionem esse verborum, VT IN COMMOD. quae legi debent post verbum CVSTODIA: cum scilicet pignus ultero datur credituro absque pignore, de quo casu & Cui: 19. obs. 24. hunc §. accipit, cuius tamen difficultates non solvit. De secunda & tertia NIELLI coniectura sententiam dixit laudatus paulo ante HANNESNIUS, cui addere mihi liceat observatiuncularum bigam. Sicuti in GERHARDVM NOODTIVM (quantum nomen!) nulla plane

n) in Diff. iur. feud. III. §. ult. in suas Lectiones WIELING l. c.
o) quae etiam transcripsit p. 24. sq.

ne suspicio cadit, quod emendationem suam ex NIELLIO hauserit, suppressoque huius nomine, eam pro sua vendiderit; Ita NIELLIO, iuveni, non infima laus est, emendationem invenisse, quae postea in NOODTIO tanta admiratione a doctissimis Viris *) excepta est. Altera observatio est: NIELLIUM per nebulam quasi veram VLPIANI mentem vidisse, sed a pruritu emendandi superatus, vocem: *ut incuriae librarii* adscribere, quam veritatem, a quo proxime aberat, persequi, maluisse.

§. XVII.

Noodtii e- GERARDVS NOODTIUS ICTus summi nominis, nescius
mendatio e- sine dubio, ante se iam NIELLIUM idem scripsisse, iu-
iusque im- vare VLPIANI verba emendatione studuit, p) ut le-
pugnatio & gantur: *Venit autem in hac actione & dolus & culpa:*
defensio. *at in commodato venit & custodia. Vis maior non ve-*
nit. Quae emendatio plurimis quidem optima
visa fuit, quia nulla vis ea infertur textui, facile-
que largiuntur Critici q) in libris antiquis saepe, VT,

ET

*) Illustr. DE LEYSER eam vocat coniecturam felicissimam, & omnium optimam appellat in Medit. ad ff. spec. 153.

p) in Probab. Iur. Civ. Lib. I. Cap. IV.

q) Ut BYNCKERSHOECK, qui in observ. Lib. VI. Cap. 15.

qui in L. 1. §. 1. ff. ad Leg. Iul. de vi priv. ipse pro. ET substituit VT, BURMANNUS ad Gratii Cynetic. v. 68. Conf. Miscell. observ. in Auct. Vet. & recent. Vol. III. Tom. I, Mens. Iul. & Aug. p. 123. sq.

ET atque AT commutari. Equidem hanc commutationem, si de codicibus antiquissimis non est sermo, non nego; sed quod ipsam emendationem spectat ingeniosam eam, & si verba VLPIANI sine emendatione sensum accipere possent nullum, plane felicissimam agnoscerem: Verum enim vero, cum aequus quilibet rerum aestimator nullus sit, cui non debeat nostra explicatio commoda, nisi unice vera, videri; consequitur, ut falx critica in verba VLPIANI immitti non debeat. Perplacuerunt mihi ideo semper B. HEINECCII verba r): *deinde nec eorum crisi multum laudis mereri puto, qui medicinam parant, ubi non opus est; id est, ubi sensum satis commodum admittant leges. Si quando paullo varius occurrit vocabulum, structura verborum non ubivis obvia, historia vel species obscurior; non sane exemplo est ad falcem criticam recurrendum, quam diu res exemplo non caret. Vtrum igitur NOODTIUS hic regulam hanc saluberrimam observaverit, iudicatum haut difficile erit.*

§. XVIII.

Hanc NOODTI emendationem non impugnavit tantum, sed & suam de lege nostra sententiam ^{interpretatio.} dixit.

r) in Praefatione elegantissima editioni Observ. Iur. Civ. BYNCKERSHOECK a se. 1739 procuratae praemissa pag. 7.

dixit s) CHRISTFRIEDVS WAECHTLERVS opponit nimirum hic ICTUS NODTHI emendationi legem 19. C. de Pign. & hypoth. ubi verba habentur: *sicut vim maiorem pignorum creditor non habet necesse; ita dolum & culpam, sed & custodiam exhibere cogitur; provocans simul ad §. fin. Instit. quib. mod. re contr. obl.* ubi Imperator ait: *sufficere*, si ad eam rem custodiendam exactam diligentiam adhibeat. Quam si praestiterit, & aliquo casu foruito rem amiserit, securum esse. Hinc censet, ad duo teneri creditorem, nempe ut & pignus penes se non fiat deterius, & ut apud se non amittatur; ad hoc pertinere custodiam, ad illud culpam levem, r) satisfacere NOODTHI WAECHTLERO studuit in Lib. IV. Prob. Iur. Civ. Cap. 3. quam defensionem & ulteriorem emendationem hic repetere longum nimis foret. Oppositae a WAECHTLERO leges u), in quibus in creditore *custodia & diligentia exacta* requiritur, mea quidem sententia, nec NODTHI emendationi, nec nostrae interpretationi obstant, quia in utraque de commodatario dicitur, quod ad custodi-

am

s) in notis ad GERH. NOODTHI Probab. Iur. Civ., quae reperiuntur in eius Opusc. Iurid. Philolog. a Celebr. CHRIST. HENR. TROZIO cum praefatione sua Traiect. ad Rhen. 1733. in 8.

iunctim editis.

r) Conf. Obser. Miscell. l. c. p. 125.

u) nempe L. 19. C. de pign. & hypothec. & §. fin. Instit. Quib. mod. re contrah. oblig.

am teneatur. Sed quia tam asseruimus creditorem ad culpam levissimam non teneri, facili negotio dubia haec a WAECHTLERO mota removeri poterunt. Supra enim iamiam monuimus, custodiam tantum in iis contractibus, qui maximam diligentiam exigunt, denotare culpam levissimam; in reliquis negotiis autem ex natura contractus voces: *Custodiae & diligentiae exactae vel exactissimae* recipere, nisi totam iuris doctrinam everti debeat, negabit nemo x). Quis enim unquam adferet, in emtione praestari culpam levissimam? & tamen CAIVS y) scribit: *custodiam ante ad metiendi diem, qualem praestare venditorem oporteat, utrum plenam ut & diligentiam praestet, an verodolum duntaxat? videamus. Et puto eam diligentiam venditorem exhibere debere, ut damnum fatale, vel vis magna, sit excusatum.* Et PAVLVS eodem fere modo z): *custodiam autem venditor talem praestare debet, quam praestant hi, quibus res commodata est, ut diligentiam praestet exactiorem, quam in suis rebus adhiberet a).* Eodem modo a creditore in *Instit. §. fin. Quib. mod. re contr. oblig. exacta diligentia* exigitur, quae si proprie loquimur,

x) Observ. Miscell. l. c. p. 126.

y) L. 2. §. 1. D. de Per. & Commod. rei vend.

z) L. 3. Dig. eod.

a) Plura huius rei exempla ex legibus deprompta vid. in WIELINGII Lect. Iur. Civ. l. c. p. 25. lq.

mur, culpaevi opponitur: & ne quis regerat, ali-
 quando *exactam* pro *exactissima*, quaeque culpaevi levif-
 simae respondet, occurrere; Imperator rationem
 ex natura contractus deduxit, qui scilicet utilitatem
 utriusque respicit *b)* Recte igitur ex sententia Ano-
 nymi auctoris doctissimi, qui contra WAECHTLERVM
 defendit NOODTIVM in observationibus miscellaneis
c) urget WAECHTLERVS, in pignore etiam praestari
 custodiam, quod DIOCLETIANVS & MAXIMIANVS *d)* af-
 firmant: sed minus recte addit, in custodienda re
 oppignorata eandem praestari debere culpam, quae
 in re commodata servanda requiritur; haec enim
 ex natura contractus modum accipit. Sed haec ad
 nos non spectant, qui in nostra Lege XIII. custodi-
 am non de pignore sed de commodato dici demon-
 stravimus.

§. XIX.

Wielingii
 interpreta-
 tio.

Et a NOODTIO & a WAECHTLERO recedit saepe
 iam laudatus WIELINGIVS *e)* qui putat, verba VLPiani:
*venit autem in hac actione & dolus & culpa ut in commo-
 dato venit & custodia, vis maior non venit*, non intelli-
 gi de pignoratitia actione, sed de actione in factum
 proxime antecedente; comparari itaque hanc actio-
 nem

b) Compar. hic Observ.
 Misc. l. c. p. 125.
c) l. c. p. 126.

d) L. 19. C. de Pign. & Hypoth.
e) in Lect. Iur. Civ. Lib. I.
 Cap. VII. p. 28 sq.

nem ad praestationis effectum quod attinet, cum actione commodati, idque merito. Emtorem enim contendit WIELINGIVS, rei pignorate a creditore iure venditae, verum dominium, quamvis revocabiliter acquisivisse, ac proinde inter alios dominii effectus utendi quoque facultatem fuisse nactum. Quoniam autem recepto pretio, secundum conventionem, rem restituere debitori debeat, eandem scilicet speciem, & non factam deteriorem; sane si quid in re datum damni fuerit, instar commodatarii de dolo, lata, levi & levissima culpa emtorem debitori teneri, concludit WIELINGIVS. Ego vero non abnuo, in actione in factum in lege proposita venire culpam levissimam ab emtore pignoris praestandam; at VLPIANVM in §. I. huius nostrae legis de sola actione pignoratitia intelligendum esse, supra iam fufe a nobis probatum est.

§. XX.

Portum prospicimus pervenientes ad AMPLISSIMUM HANNESENIVM, qui f) postquam NOODTIVM ^{Hannefenii} aliosque huius legis interpretes satis acute confutavit, ^{interpreta-} tandem addidit iis calculum, qui hanc legem esse intelligendam de pignore contracto, in quo sola cre-
ditoris

f) l. c.

ditoris utilitas (g) versatur, sibi persvadent. Quamvis vero iis, quae hactenus a nobis sunt dicta, huic sententiae iam satisfactum sit, tamen id hic non monere non possumus, casum, quem **AMPLISSIMVS HANNESENIVS** de contractu pignoratitio, in quo soli creditori beneficium exhibetur, fingit, omnibus numeris absolutissimum esse.

g) Dum haec ipsa plagula e prelo madida correctrici meae manui submittitur, nunciat mihi **Amplissimus Hannelenius**, se certiozem esse factum, me suae sententiae ratione **Legis 13 D. de pignor. act.** in Dissertatione mea inaugurali mentionem fecisse; se ipsum vero hanc suam iam mutasse sententiam, illamque prope diem publice revocaturum: simul **DOCTISSIMVS ILLE VIR** in manus mihi tradit opusculum manuscriptum, quod brevi tempore in vulgus missum iri dicit, in quo nova de sensu **Leg. 13. Dig. de pign. act.** sententia reperitur, quam liceat ipsis eius verbis hic proponere: Die wahre Meinung (inquit) des **Ulpianus** ist also klahr; daß ein Gläubiger bey Ver-

wahrung des Pfandes weiter nichts als den Vorsatz zu schaden, ein grobes und mittelmäßiges, aber so wenig ein geringes Verscheln als einen ohngesähren Zufall zu übernehmen habe, zugleich aber die **CUSTODIA**, wie in dem **Commodo**, als eine **Obligatio secundaria** hies bey in Betracht gezogen werden müsse. Quae sententia licet doctissimi sui auctoris ingenium atque iudicii aucumen prodatur, nullam tamen recedendi a mea sententia rationem continet; praeterea etiam ex iis, quae in dissertatione in medium protuli, & ex ipsa mea huius legis explicatione, **Amplissimi Hannelenii** coniectura satis mihi infirmata esse videtur.

F I N I S.

Sile zur Göttinn, die die Welt beschützet,
Dort blühn auch Lorbeern, wo ihr Reichschwert
blizet,
Freund, es entspringen aus der Weisheit Lehre
Purpur und Ehre.

Laß sich den Pöbel immer glücklich danken
Wenn ihm der Wollust schiele Augen winken;
Er klebt der Thorheit zum gewissen Raube
Immer am Staube.

Du brauchst kein Beyspiel, keinen großen Namen
Dich zu ermuntern; denn der Tugend Samen
Keimt Dir im Herzen, gleichwol machen beyde
Dir Ruhm und Freude.

Einsicht und Klugheit zieren Deine Scheitel
Und ihre Werke macht die Zeit nicht eitel.
Lasset nur weißlich die Natur euch führen
Sie kann euch rühren.

Du zeigst es gründlich daß bey ihren Lehren
Zwingende Künste leichtlich zu entbehren:
So, edler Lamprecht, brauchst Du auch kein Glücke,
Das Dich noch schmücke.

Hermann Georg Bünekau, D. R. B.
aus Lübeck.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



X

2472



Göttingen, Diss., 1750 G-2


ULB Halle
005 356 768

3



Vd 18







1750, 15

21.

6/

COMMENTATIO
AD LEGEM XIII DIG.
DE
PIGNORATITIA
ACTIONE,

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
PRO
GRADV IN VTROQVE IVRE DOCTORIS
CAPESSENDO
DEFENDET
DIEDERICVS GODOFREDVS
LAMPRECHT.

BERGEDORFFIENSIS.

DIE 24 MARTII. A. O. R. MDCCL.

G O T T I N G A E

APVD ABRAM VANDENHOECK, ACAD. TYPOGR.

